

DE CONIUNCTIONE, OPPOSITIO, MED. LUMINAR.
planetæ eleuari unus super alterum. Nam ille planeta qui fuerit propinquior summis
tatibus suorum circularum, dicitur eleuari super ipsum qui fuerit remotior à suorum
circularum summitatibus. Econuerso tamen de Luna in epicyclo prædicta fieri in-
telligantur.

De coniunctionibus, oppositionibusq; medijs luminarium.

Propositio XXII.

Primam coniunctionem, primamq; oppositionem medias lumi-
narium atq; aliam quamcunq; reperire.

PRIMAM coniunctionem eam uocamus, quæ primo in diebus usualibus
lanuarij contingit, & radix coniunctionum dici potest. Eodem
modo de prima oppositione intelligatur. Mitte ergo annos Christi cur-
rentes in tabulas coniunctionum aut oppositionum, & primo intra cum
annis collectis, quos si præcise inueneris, in eodem uersu habebis tempus primæ
coniunctionis mediæ, similiter & medium motum Solis & Lunæ ad idem tempus
cum reliquis motibus. Eodem pacto de oppositionibus ex tabulis proprijs singula
inueniuntur. Quod si annos Christi in linea numeri tabulæ annorum collectorum
præcise non inueneris, intra primo cum minoribus uicinioribus, & accipe tempus
coniunctionis ibi positum cum motibus suis. Deinde cum annis residuis tabulam
annorum ingredi exansorum accipiendo similia iuxta posita, quæ adde prioribus,
quodlibet generi suo, quo factò à diebus collectis abijce 31 dies, qui sunt dies
Decembris, si potest fieri, si non, nondum reperisti primam coniunctionem. Quare
de tabula mensium recipe primam rigam apud Februarium positam cum tempore
& motibus in ea repertis, & adde prius inuentis, quodq; tamē suo generi, ut assolet,
& de aggregato subtrahere 31 dies, remanebit tempus primæ coniunctionis mediæ
anni tui cum motibus suis. Quæ licet in diebus usualibus lanuarij proueniat, Februa-
rio tamen adiudicetur, nisi alia in diebus usualibus lanuarij succreuerit in tali casu.
Prima esset Embolismalis, sequens uero Februarij, haud secus cum prima oppositio-
ne de proprijs eius tabulis arbitramur faciendum. In annis autem expansis una &
eadem tabula tam coniunctionibus quàm oppositionibus inseruit. Cuius autem sit il-
la oppositio sic percipe. Aduerte an prima anni coniunctio, aut ipsa oppositio tua sit
maior in diebus, nam si coniunctio sit minor in diebus, & oppositio maior, tunc hæc
ipsa oppositio est ipsius Februarij uel Embolismi, prima coniunctione, Embolismi
existente. Si uero ipsa oppositio minus habuerit in diebus, coniunctio autem plus,
profecto hæc prima oppositio erit lanuarij, dum oppositio præcesserit ipsam con-
iunctionem in diebus lanuarij; quòd si fuerit econuerso, tunc oppositio inueniretur
in diebus Decembris, existens ipsius Decembris, nisi esset Embolismalis in Ianuario.

Quod si hanc coniunctionem uel oppositionem ad alium meridianum à No-
ribergensi reducere uolueris, primo habeas distantiam in tempore qua tui loci me-
ridianus à Norimbergensi elongatur, ut in primo dictū est. Quod si tuus meridianus
fuerit occidentalior Norimbergensi, tunc distantia dicta auferatur de tempore me-
diæ coniunctionis uel oppositionis ex tabulis nostris comperto, uel tuam distantiam
eidem tempori adde, si tuæ cōsiderationis locus fuerit orientalis, & reduxisti ipsam
ad meridianum optatum. Facta autem reductione ista omnes aliæ ab illa formatae si-
mul reductæ erunt ad eundem situm cum prima.

Aliam autem coniunctionem quamcunq; ulteriorem, hoc modo comperies.
Ingredere